


DE
VITANDIS ERRORIBUS
IN
MEDICINA MECHANICA
PROLVSIO ACADEMICA,
QVA
AD AVDIENDAS PRAELECTIONES MEDICAS PV-
BLICAS ATQVE PRIVATAS,
PROXIMO SEMESTRI HABENDAS, ARTIS SALVTARIS
CVLTORES INVITAT

D. JOH. WILH. ALBRECHT.
ANATOMIAE CHIRVURGIAE ET BOTANICES
PROF. P. O.



GOTTINGAE
Apud ABRAMVM VANDENHOECK,
Academiae Typographum.

VITANDIS ERRORE

MEDICINA MICHAMICA

PROLYDIO ACADÉMICA

AN INSTITUTION FOR THE STUDY OF MEDICINE
AND THE ARTS

PROFESSOR OF THE HISTORY OF MEDICINE
AND THE ARTS

D. JOH. WILHELM. ALBRECHT

PROFESSOR OF THE HISTORY OF MEDICINE
AND THE ARTS



PROFESSOR OF THE HISTORY OF MEDICINE
AND THE ARTS

GOTTINGEN

VERLAG VON HANDELSCHEIDT

UND BUCHHANDLUNG



EAm praecipuam praestantissimae Scientiarum, Mathe-
seos, laudem ab omni tempore clarissimorum sapientia
virorum iudicio & testimonio comprobata[m] videmus, quod
instruat sui cultores celeritate quadam ingenii, & res alias
cognitu difficiles atque obscuras, tum clare & distincte comprehendendi,
tum dijudicandi facultate. Quoniam enim, dum sua tractant, nihil
pro vero admittunt, quod non sit admodum evidens & clarum, at-
que ex his cauta ratiocinii severitate efficiunt coguntque id, quod de-
monstratum volunt; adeo, ut impossibile fere sit, falsa veris hic im-
misceri; in proclivi est iudicare, eos, qui huic methodo diutius im-
morantur, & innutrientur, in promovendis aliis etiam scientiis fore
caeteris feliciores, & in vitandis erroribus prudentiores. Et fuerunt
fane non pauci, qui hoc suo exemplo confirmarent, praesertim, ubi
in scrutandis rerum naturalium phaenomenis accuratorem Mathe-
maticam adhibuerunt.

Multa enim, quae prius obscuritate sua in longe alienas à vero, &
diversas egerunt sententias philosophos, hoc lumine illustrata, adeo
oculis omnium exposita fuerunt, ut nimia evidentia fere vilescerent.

Quae tam pulchre succedere cum aliqui animadverterent, nihil se
hoc adjutos auxilio assequi non posse sperabant, &, dum majori, quam
par erat, fiducia ad omnia Naturae arcana reuelanda se conferrent,
sicubi graviores offendebant difficultates, de rigore geometrico tantum

potius remittebant , quantum ad id , quod volebant , obtinendum factis erat , quam ut isto molimine nihil effecisse videri vellent.

Vnde soepe accidit , ut ii , qui suo acumine omnia penetrare contendunt , falsis rerum imaginibus decepti , erroribus aequae ac alius quisque de plebe philosophorum deprehendantur obnoxii.

Haec dum vident alii , qui pulcherrimae istius scientiae expertes , quantis abundet bonis , nesciunt , & alias etiam id , quod ignorant , parvi pendere solent ; exinde materiam reprobandae Methodi , qua aliqui perverse utuntur , sibi sumunt , & , quam parum lucis à Mathe- si sperare queant aliae Scientiae , his exemplis patere clamant.

Vos autem , lectissimi Medicinae Cultores , in neutram partem neque effusis laudibus , neque temerario contemptu abrepti , summa Matheos me- rita , tum in universam Physicam , tum in Medicinam maxime , iusta coletis veneratione : Minime vero omnia , quae à viris geometris profecta , & aliquam demonstrationis mathematicae speciem prae se ferre videtis , pro adeo certis & evictis habebitis , ut de iis dubitare nefas sit. Ve- rum hic quoque audebitis diffidere , inquirere , examinare , & ubique rationi plus fidei adhibere , quam authoritati cujuscunque.

Quemadmodum enim geometrae , dum sua agunt , & puncta , & li- neas , & directiones , quam res exigit , accuratissime determinant , adeo certa demonstrant atque perspicua , ut ea qui negare velit , non sanae mentis sit existimandus ; ita , quamprimum sua demonstrata ad mate- riam applicant , factis experiuntur , quantum rigore isto decedant effe- ctus. Offendunt hic linearum crassitiem , hinc punctorum soepe & di- rectionum mutabilitatem , gravitarem , affricum ; quibus singulis effici potest , ut diversum quid ab eo , quod sperabant , contingat.

Nihil in Mechanicis recte simplicius , & tamen hic paulo aliter res
succeedere

succedere solet, quam docebat calculus. Quid igitur sentiendum erit, ubi de magis compositis quaeritur Machinis? tunc scilicet istas conditiones materiae, non prorsus abstrusas, diligenter explorare, & ad computum revocare tentant.

Quod vero multo graviori premitur difficultate, quoties eadem ratione in explicandis rerum naturalium, & Machinae animalis phaenomenis procedere suscipiunt. Ista enim conditiones materiae, quibus non penitus intellectis, nequicquam certi ratione colligi potest, hic plerumque adeo latent crassis occultatae & circumfusae tenebris, ut eas ne conjectura quidem informare liceat.

Vnde non raro contingit, ut intricatae hujus obscuritatis impatientes rem suo arbitrio ordinent; manifesta quidem assumant; quae vero nimium faceffunt negotii, negligant; ubi quid deesse videtur, affingant, demant, addant, atque ex his deinde severo ratiocinio geometrico se vera demonstrasse praemature gloriantur.

His alii prudentiores, omnia, quae ad penitiorem rei cognitionem pertinent, quam fieri potest, sollicite conquirunt, quae vero humani vim ingenii & intelligentiam fugiunt, ea ingenue primi declarant; ubi ipsam veritatem assequi non datur, vel eo satis felices, quod ad eam possint accedere quam proxime.

Et sane, qui ita animo comparati sunt, qui studio Matheseos imbuti omnem temeritatem in asserendo, & opinionum levitatem excusserunt; qui, quaecunque Anatomia de fabrica partium demonstrat certissima, fundamenti loco ponunt, quae in Mechanicis & Phycis comperta habentur, justo loco applicant, jam nota cum quaesitis curiose comparant, ii demum condendae Theoriae & Arti promovendae idonei nobis esse videntur.

Hos ego vos, Eximii Solertia Juvenes, sectari, consulere, imita-

ri, colere vellem unicos, & ab aliis, qui titulos Mechanicorum affectant, atque, dum rationes eorum omnium, quae in corpore contingunt, perspicue se exposituros pollicentur, meris figmentis obscura etiam magis implicant, & sic optimam Methodum apud Mechanicae Philosophiae ignaros adducunt in contemptionem, probe discernere.

Nisi enim hi rationes Mechanicas praetendissent, cum commentitiis suis pororum & particularum configurationibus varia secretionum genera absolvi perhiberent; nescio, quid magni momenti habituri essent Naturae animatae Fabri, quod Mechanicis possent objicere. Cerneret enim exoletam Fabulam de corpusculis in sanguine cubicis, triangularibus, hamatis, anguillaribus, hastatis &c., quoties Mechanicorum fit mentio, ad nauseam usque repeti, & longe aliter sentientibus exprobrari.

Negari interim non potest, in alios praeterea errores varios induci Summos saepe in Arte viros, qui id, quod humana fert conditio, prorsus evitare non possunt. Sic alii ea, quae de Machinis Hydraulicis, in quibus humor aqueus, homogeneus fluit per canales rigidos & immobiles, demonstrantur, variatis licet quam maxime conditionibus, eadem vera etiam esse praedicant in corpore humano, ubi miri ingenii fluidum, valde haeterogeneum & mutabile, agitur per vasa membranacea, dilatabilia, fibris motricibus instructa, reagentia, comprimantia, expansa, vario pro diversitate partium & temporis, effectu; cujus inaequalitatis causae possibiles inquirenti occurrunt numero infinitae.

Alii, cum vidissent, determinatam visceris secretorii à corde distantiam id boni forte praestare posse, ut certi generis particulae, hucusque delatae, laxius cum reliqua massa, inter se cohaereant firmitus, sicque ad secretionem subeundam fiant aptiores; hinc nimium festinanter concludunt, definitam istam distantiam, & sanguinis retardationem maximi ad efficiendas secretiones esse momenti; structurae vix attendunt; sed in eodem viscere, si longius paulo, aut propius à corde abesset,

abesset, eundem liquorem secerni posse, negant; quin nullum alium esse Lienis tam diu quaesitum usum, quam ut sanguinem, ad Hepar pergentem, intercipiat & remoretur.

Quaeris, qui fiat, ut sub finem inspirationis muscoli costas elevantes, antagonists destituti, relaxentur per intervalla, quibus cartilagine vi suae elasticitatis costas iterum deprimere valent? erit, qui tibi respondeat, pulmonibus inflatis fisti ibi sanguinem, hinc parcius pelli versus cerebellum, hinc hos musculos fieri paralyticos.

In inmensum excurreret oratio, si fusius recensere vellem, uti in variis Medicinae partibus theoria Mechanica summam praestare utilitatem, vel etiam hallucinandi praebere queat occasionem. Aptior, puto, de his plura dicendi erit locus, quando praelectionibus meis attentione vestra seduli interesse dignabimini.

I.

Publicis vero recitationibus, singulis *diebus Lunae & Jovis, Hor. XI-XII.* instituendis, destinavi *Cel. Stablii Physiologiam*, ubi id agam, ut veram Authoris mentem ubique exponam, quodcunque hic boni erit, fideliter indicem, quae minus probo, notem, additis dissensionis rationibus. Expedit enim non propriae tantum, sed aliarum etiam nosse dogmata sectarum.

II.

Privatim singulis *diebus Hor. X-XI. Materiam Medicam* ita tractabo, ut primo ipsa simplicia vobis exhibeam, virtutes Medicas, sensibus & observatione cognitae, declarem, quam frequens, & qualis eorum usus? & tandem, an prostant in officinis? quaeque exinde praeparata? ordine persequar.

III.

Hora II-III Collegium Anatomico-Physiologicum, quod hoc aestivo semestri modo ad finem perduximus, eodem praeeunte *Cel. Boerhaavio*,

vio , denuo exordiar , ubi , quae huc pertinent , paulo uberius evolventur.

IV.

Hor. III-IV. Collegium Praëticum in Cel. Boerhaavii Aphorismos de Cognoscendis & curandis morbis , ante aliquot menses jam inchoatum , strenue continuabo.

V.

Hor. IV-V. Collegium Pathologico Semioticum incipiam , in quo praecepta Cel. Boerhaavii normam tractationis quidem praebebunt , sed multa , quae hic brevius angustiusque dicuntur , apertiora fient iis , quae vobis scribentibus dictabo. Agite itaque , suavissimi Commilitones , has disciplinas , quas ego vos docerem ipsi à me expetivistis , & vestris profectibus bene respondent , solita vestra animi alacritate , & indefessa industria complectamini ; sic vobis comparabitis , quod olim proderit , & vestra sedulitate , atque discendi cupidine excitabitis diligentiam docentis , qui vestris commodis vigilias meas , & studia , & siquid est ingenii , lubentissime consecrabo. Dabam Gottingae A. MDCCXXXV. d. 12. Octobris.

